

ANNO DOMINI MCV

B E Z U E N S I

JOANNIS MONACHI CHRONICON BEZUENSE

P R A E C E D I T

CHRONICON S. BENIGNI DIVIONENSIS

Dijon, France - Abbaye de AUCTORE ANONYMO

St. Pierre.

(Dom D'ACHERY Spicileg., edit. de la Barre, tom. II, pag. 356)

MONITUM.

Cum ante bina ferme lustra, S. Benigni Divionensis Chronicon e bibliotheca regia commodasset clarissimus vir Petrus Puteanus, subierat animo publicam in lucem opus vindicare; nec deerat characterum elegantia, que ad lectionem prolicceret; at revolventi ac proprius insipienti tantæ scriptio[n]is salebrae occurrerant, verbis pars inversis, pars mutilis, pars omnino absumptis, ut actuari primam pingendi, scribendi postremam fuisse curam crediderim. Hinc discedendi a priore consilio necessitas. Postea vero quæ San Benignianum cœnobium congregationis S. Mauri disciplinam induerat, me convenere viri docti cœsplices, ut autographum, quo potiebatur eadem abbatia, Parisios mittendum, publicumque faciendum curarem; ut pote tot annis oblivione sepultum, doctis invisum, nunc autem ab iis ardenter expetitum, qui Gallicis rebus illustrandis tanquam pro aris ac focis decertantes, oleum et operam impendunt; quin ne bi solum, sed barioli illi mercenario calamo, stylo calamistralo, ut regni jus hæreditarium (quod Salicam legem vocitant) caligine ossum, e medio tollere attentarent, in subsidium Chronicon istud, velut et Besuense, nixu temerario non erubuerunt advocare (id legenti, quam favet nihil utrumque, patebit). His proinde quasi calcaribus instimulatus, continuo litteras semel atque iterum, ac tertio Divionem, quo ad me autographum illud transmitteretur, direxi. Interim quam præscieram interjecta mora est; scilicet instar thesauri, antiquitatis monumentum isthoc vir illustrissimus D. de Castille, abbas commendatarius S. Benigni, reconditum habens, e musæolo distrahi, extrahive extra regionem ægre ferebat. Verumtamen ipse singulari comitate præditus rei litteraræ seu bono publico nolens invidere, ultro concessit San-Benigniano cœnobite domino Claudio Bertaigne, e nostra congregatione presbytero theologo, qui maxima cura, summa diligentia, exemplar ex mendoso bibliothecæ regiae excerptum, a se, uti rogaveram, collatum ad archetypum, suoque nitoris restitutum, quantocius Parisios remisit: quod ego mora procul, adjectis prius margini variis lectionibus conjecturisque, typographicæ officinæ intuli.

Nec abs re fuerit, totidem verbis ac syllabis et San Benigniani et Besuensis Chronicorum auctores suam Gallicarum rerum historiam texuisse, ipsa præfatione, Lector, advertas (nam hujuscemodi Chronica cothurni mihi visi sunt, utrique pedum apti) quo vel umbra conjecturarum, auctorem primigenium quæ observare. Igitur ex subjectis Chronicis Besuensi perspicuum habebut Joannem monachum (secretarius appellatur paulo superioris) esse rerum Besuensium commentarii conditorem, videlicet ex epitaphio, et librorum, studio Joannis descriptorum, indiculo. Epitaphii hæc sunt verba :

Omnibus ostendit monachi pia cura Joannis, etc.

Et in fine indiculi : *Iustum etiam librum de diversis rebus et chartis composuit.* Videsne non chartarum modo, diversarum quoque rerum concinnatorem prædicari? Num diversis rebus historia cum domestica tum Gallica insinuator? Favent profecto verba Joannis. Nihilominus scrupulum ingerit San-Benignianus, qui sese ætate haud ita obscure Joannem præcessisse ostendit: namque ad obitum Halinardi, ex abbate archiepiscopi Lugdunensis, Chronicon tantummodo perduxit, hoc est annum 1052. Joannes vero quæ Besuensi asceterio Guillenci Lingonensis episcopi, nec non Joffredi Besuensis archimandritæ annis plus minus 1129 et 1135 fuere collata, describit (quæ enim epitaphium chartæ subsequuntur permistim sunt superadditæ) atque in hoc abbatæ colophonem imponit. At de his sat superque: ejusmodi item protelare necessum minime est; quando quidem inficias neutiquam ierim, quod historiam spectat sæcularem, de Gregorii Turonensis ac Fredegarii Historiis, ad verbum saepiuscule Chronicorum auctores expressisse.

Chronici Besuensis autographo (ni fallor) in bibliotheca Regia asservato, usus fui; a cuius contextu vel latum unguem discedere mihi religio fuit. Et ne bilem vel nauseam lectori subinde cierent in Besuensi repetita, his expunctis ad San-Benignianum Chronicon emandavi: illa nihil secius quæ ad majorem historiæ Gallicæ illustrationem conducerent, seu gloriæ regis, seu juri aduersantes plurimum exigitarent, quæve alioquin historiæ filum abrumperent, operæ pretium duxi recudenda.

San-Benigniano Chronicu appendicem, quam auctor proximo sæculo conscripsit, ingratam fore Lectori, si adderem, non putavi. Plura quoque antiquitatis monumenta, utrumque ad illustrandum Chronicum, in gerere consilium fuerat, verum id oneris in humeros sodalium meorum qui contexendæ eorumdem monasteriorum historiæ navaturi sunt operam, deposui.